

An Manuscripta Majorum Moses collegavit?

§. VI. Audiamus nunc, quibus rationibus *Cl. Vir* ulterius probet, *Mosen Majorum suorum autographa collegisse*. I. Pro se allegat locutionem ער-היום quæ identidem in Genesi occurrit. Verum voces istæ nostram potius causam juvant, cum opponantur illi tempori, quo res gesta fuit, adeoque demonstrent, hæc omnia posteriori ætate esse conscripta, non autem ab ipsis Patriarchis. Quid enim nos cogit, ut hæc verba a Mose demum addita credamus? Neque duntaxat in Genesi deprehenduntur, sed etiam sæpe alias, v. c. Deut. III. 14. An vero credet *Dn. Adversarius*, Deuteron. quoque esse συλλογήν e Majorum diariis a Mose conquistam?

An Scriptura S. habeat vim movendi corda, ut historiam habeamus pro divinitus inspirata?

§. VII. Ad II. (a) respondemus: Moses non potuisset agnosci ut scriptor Θεόπνευστος, si Patriarcharum Manuscripta Θεόπνευστα confarcinasset; Sed tum potuit pro tali agnosci, eique major penes alios conciliata est fides & auctoritas, cum res nunquam antea conscriptas ex immediata inspiratione ipse consignasset. Vbi certe haud orthodoxe sonant verba: *Scripturam S. habere vim inter vim movendi homines, hoc certum est de vi illuminandi & convertendi. - - - Num vero habeat etiam vim movendi corda, ut aliquam historiam habeant pro divinitus inspirata, alia questio est.* Nonne vel minima Scripturæ S. historia pertinet ad Dei Verbum? Atqui hoc pro tali agnoscimus ejusque divinitatem credimus potissimum per & propter testimonium Spiritus S. in corde nostro, quippe qui intime & indivulse cum Verbo est conjunctus, & hæc vis Scripturæ supernaturalis nobis parit fidem divinam, cum ex reliquis κριτηρίοις non nisi fides humana nascatur, quod magno consensu nostrates Theologi docent vid. I. Joh. V. 6.

Vindican- tur nostra argumenta a Dn. Adversarii objectionibus.

§. VIII. Locum I. Cor. XIV. 32. male a *Viro Doctiff.* applicatum fuisse, demonstravimus, ad quæ nihil solidi regessit. Sequentia vero de Libro bellorum Domini ad caput causæ non spectant.

§. IX. Quando §. 19. affirmamus, ipsum Mosen verum & genuinum esse Geneseos auctorem, etiam subintelligimus, eum solum & unicum istius libri auctorem esse.

§. X. Expositio dicti Gen. XXII. 14. quam *Dn. Dissentiens* suppeditat, est contra puncta vocalia, contra divinam accentuationem, & contra ipsum sensum.

§. XI. Tandem locum Gen. XXXVI. 9. sqq. ad suas partes pertracturus, *Mosen*, inquit, hæc *Ducum Regumque nomina & genealogiam ex autographo Θεόπνευστω Esavi, vel alicujus ex ejus posteris, haurire potuisse.* Resp. A potentia ad actum non V. C. Et quis Esavum, cujus Ep. ad Hebr. XII. 16. non admodum honorificam facit mentionem, constituit virum Θεόπνευστον; Nec Moses h. l. Θεόπνευστον egisset virum, si aliorum scripta nude recensuisset, nec ex sibi immediate facta inspiratione ea omnia mandasset literis.

§. XII. Reliquas nostras probationes, sc. II. III. IV. V. VI. VII. se non ferire existimat. Ast dummodo ostendimus, hunc, illum locum ad ipsum Mosen, ut scriptorem, non collectorem, referri debere, facile erit demonstratu, reliqua Geneseos, historica serie connexa, non aliis tribui posse. Alioquin sequeretur, Mosen in hoc commate, hoc capite, & f. p. Θεόπνευστον fuisse, in aliis minus, aliaque absone plura, cessaret stili æqualitas, apta rerum cohærentia, &c. Verba paragr. 20. nostri, quæ respicit *Cl. Vir*, non *Josephi* sunt, sed *Calovii*, qui cum Scripturas S. e diariis vel commentariis collectas esse, simpliciter neget, illi omnino contradicit. Et sic quoque, quæ §. 15. monuimus, firmo adhuc talo consistunt.

ער כה סופא די מלתא

(a) vid. Antiq. Nov. A. 1728. p. 483.

Coll. diss. A. 116, misc. 55